


Exercitatio Theologica Septima De Luce Increata Et Creata

Tubingae: Reisius, 1683

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn872463370>

Druck Freier  Zugang





78.



Fa - 1092(78) (SON)

37. Geom. Henricus Keller de Magistratu Pol.
 38. Krieger & Hirkander Satyra in Bökelmanni Dissert.
 inaug. de Potestate Ecclesiastica.
 39. Jo. Henrici Maji Epistola ad J. Jo. Frischlayonem.
 40. Disputatio ad 1 Jo. 11, 1. 2.
 41. Fridericus Lipsius de Martino Antonio de Do-
 minis Episcopo Spalatensi.
 42. Ministerii Tripolitani Anticenis Indici Syncretismi
 43. Eiusdem Ministerii Liber ad Collegia Theologica.
 44. Zwang Abthligg Risens Unschuldigung eines
~~Brüder~~ Luffen.
 45. Melchioris Corneci Aristoteles rediret R. Cathol.
 46. Gottlieb Wernsdorff Progr. de Ernesto Lueb.
 ad Orat. inaug. O. Luhnii.
 47. —. Exploratio Spiritus Brendeliani.
 48. Jo. Reinhart Brecht de Paenit. Iterabili.
 49. Jo. Michael Ludwig de prejudiciis practiciis.
 50. Georgi Gustavi Zeltneri conjecturae de Meliarmo
 presenti et Apoc. pp. 4 ff.
 51. Godofredi Ludovici Progr. de Epist. ad Ebneos.
 52. Christoph. Matthiae Pfaffig de Gratia et Prae.
 53. Jo. Sigismundus Kirchmeier de Principio fidei
 Verbo Dei contra revelationes Inspiratorum.
 54. Jo. Henricus Majus Filij de Novi Anni Lib. auspiciis.
 55. Gasparij Cardilli Apologia pro Indictione Concilii
 Tridentini

Y.S.

EXERCITATIO THEOLOGICA
S E P T I M A

De
LUCE INCREA-
TA ET CREATA,

Quam

ALLUCENTE LUMINUM PATRE,

S U B

U M B O N E

Doctoris Theologi,

V I R I

R E V E R E N D I S S I M I,

DN. JOHANNIS ADAMI
OSIANDRI,

SS. Theol. Prof. P. Senioris & Primarii, ejusdemq;

Facultatis h. t. DECANI Spectatissimi; Almæ hujus Univer-
sitatis EBERHARDINÆ Cancellarii Eminentissimi,
& Ecclesiæ Præpositi Vigilantissimi, Meritissimi;

*DN. Præceptoris, Mæcenatis & in CHRISTO Patris
filiali cultu devenerandi;*

Placido Eruditorum Examine submittet

R E S P O N D E N S,

M. JOHANNES PHILIPPUS Höniger /

Oringâ - Hoënlohicus, SS. Theol. Stud.

Ad Dies 14. & 15. Decembr.

ANNO *μεροβροντίας* M DC XXCIII.

IN AULA THEOLOGORUM NOVA

T U B I N G Æ,

Typis JOHANN-HENRICI REISL.

Splendidissimo
INSPECTORUM CONTUBERNII,
quod TUBINGÆ est,
COLLEGIO,
VIRIS

*Magnificentiâ, Plurimum Reverendâ Digni-
tate, Nobilissimâ Excellentiâ, Munerum Amplitudine
Maximè Conspicuis;*

DN. BENEDICTO Hopffern /
Phil. Pract. Prof. P. Duc. Stip. Epho-
ro, RECTORI p. t. Magnifico;

DN. JOHANNI ADAMO
OSIANDRO, SS. Theol. D. &
Prof. Sen. & Primario, Ejusdemque
Facultatis h. t. Decano, Universitat.
Cancellario, & Ecclesiæ Præposito,
hujus Exercitationis Præsidi;

DN. GEORGIO HEN-
RICO Kellern / SS. Theol. D. & P.
Ord. Ecclesiæ Decano, Duc. Stip. Su-
perintendenti Seniori;

DN. JOHANNI LUDO-
VICO MÖGLINGO, Phil. &
Med. D. Phys. & Math. Prof. P. Fa-
cult. Philosoph. p. t. Decano;

DN. JOANNI GRAFTIO,
SS. Theol. D. Log. & Met. Prof. P.
Facultatis Philosophicæ Seniori;

DN. CHRISTOPHORO
CALDENBACHIO, El. Poës. &
Histor. Prof. P.

DN. JOHANNI WOLF-
GANGO JÆGERO, Græcæ
Ling. Prof. P. Contubernii Rectori;

*DNN. Mæcenatibus, Evergetis,
& Promotoribus Maximis, Æstu-
matissimis*

Primitias Hæc Theologicas,
Ad

*Exprimendam animi pro beneficiis in me
largiter collatis gratitudinem, ulterius neque
benevolentiam capeſſendam,*

D. D. D.

Observantiſſimo Clienti,
RESPONDENS,

M. JOHANNES PHILIPPUS Höniger /

EXERCITATIO THEOLOGICA
SEPTIMA

De

LUCE INCREATA
ET CREATA.

Th. CXVII.

IN ipso Gentilismo *Heraclius Epheſius Stoici* & *Parmenides* omnium rerum principium dixerunt Ignem, varias operationes & Effectus attribuerunt, in facris luxit, à Vestalibus quotannis Calendis Martii accendebatur, fovebatur, & conservabatur, ut pluribus videre est apud *Alexandrum ab Alexandro* & alios.

CXVIII.

Tandem ex hæcenus disputatis dispalescit, quid censendum sit de Discursu *Johannis Vorstii Calviniani*, contra *Chemnitium*, qui ita: Ceterum & hic gravissimus error tuus est quod voculam **LUX** ibi ubi *Christus Lux* dicitur, improprie & per metaphoram accipiendam esse nescis, mihi que ea de re monenti etiam reluctari sustines. Quæ tandem barbaries erit, si *Doctores & Professores Theologiæ* quoque tam protrita nesciant, ac tam manifesta negare audent. *Clarissimum Glassium*, qui cathedram istam ante te pressit, paulò prudentiorem fuisse video. Is ubi tropos & figuras sacrarum literarum persequitur (facit autem, ut scis, in Rhetorica sacra, quam vocat) inter locutiones improprias & figuratas & hanc recenset qua **DEUS** & *Christus Lux* vocatur. Verba *Viri* omnino sic habent: *Ad metaphoras à cælo desumptas* pertinet quando **DEUS** dicitur *Lux* 1. *Joh. 1.* quo *majestas, sanctitas, perfectio & beatitudo ejus* notatur, sicut luce cælesti ad nos transmissa nihil pulcrius & clarius, nihil purius, nihil magis letificat. Eodem referatur cum *DEUS* *Jacob. 1. vs. 17.* dicitur *Pater luminum*, apud quem non est transmutatio, aut conversionis obumbratio. Quæ phrasi *Essentialis majestas & in agendo immutabilitas* denotatur. Dicitur verò **DEUS** etiam *Lux & Sol*

T

ratione

ratione *ἐπεφάνη* & operationis inter homines. Psalm. 27. *ψλ.* 1. Dominus est Lux mea, h. e. qui veram & salutarem Spiritus sui, gratia & salutis, Lucem præstat. Hinc diverse illæ phrasæ, quibus Lux DEI significat vel ejus favorem & gratiam, vel salvificam ejus per verbum patefactionem, vel æternam demum glorificationem. Ex hac occasione ad Salvatorem nostrum (Christum) pervenimus, qui peculiariter Lux & Sol dicitur, non ratione essentia solum divina & persone à Patre distinctæ, sed & ratione officii, beneficiorum & operationum, Esa. 9. *ψl.* 2. cap. 42. *ψl.* 6. c. 49. *ψl.* 6. c. 60. *ψl.* 1. Matth. 4. *ψl.* 16. Luc. 2. *ψl.* 32. Joh. 1. *ψl.* 4. 9. cap. 3. *ψl.* 19. 6. 8. *ψl.* 12. c. 12. *ψl.* 35. 36. Quoniam ex meis noluit, ex istis Salomonis Glassii discere potes, quod ad eam usque ætatem ignorasti; nimirum, quod 1. Joh. 1. DEUS, & Joh. 1. *ψl.* 4. 9. Christus Lux vocatur, id ad metaphoras & locutiones improprias pertinere. Ac ne verearis, ne per hanc de locutione impropria sententiam majestati DEI & Christi aliquid detrahatur, docebit te Glassius, quam sublimes res vocabulo LIX, si per metaphoram & improprie de DEO atque Christo usurpetur, significantur. Ait quidem, quod 1. Joh. 1. DEUS per metaphoram Lux vocatur, eo majestatem, sanctitatem, perfectionem & beatitudinem DEI denotari. Item quod Joh. 1. *ψl.* 4. 9. Christus Lux vocatur, id non tantum ratione essentia ac personæ à Patre distinctæ, sed & ratione officii, beneficiorum & operationum fieri. Neque verò insolens hoc est quod per metaphoram & improprie usurpata vocabula res longè præstantiores significant quam eadem proprie & absque tropo usurpata significant. Vocabula, *ostium*, *lapis angularis*, *pastor*, si proprie & absque tropo usurpentur, res non adeo magnas & præstantes significant: at improprie & cum tropo de Salvatore Christo usurpata, res multò maximas significant. Pari modo vocabula Lux proprie & sine tropo usurpata etsi rem hominibus & gratissimam & utilissimam significat, & talem quidem quæ in oculos incurrit & sensu visus apprehenditur, improprie tamen & per metaphoram de DEO & Christo usurpata infinitis modis majora significat. Sed ut crimen læsæ majestatis in Salvatore meum me admisisse probes, Antiquitatem quoque ecclesiasticam crepas.

Et

Et primo quidem ad Concilium universale Nicænum provocas, his quidem verbis: *Cogitet quomodo depravatione illius classici loci & pro vera Divinitate Christi adduci soliti, ac sua impropria acceptione vocis Lux totam venerandam Antiquitatem, quam alias amare videtur, & ipsum Concilium Nicenum perverſe impetat. Dicit enim Concilium Nicenum, DEUM de DEO, LUMEN de LUMINE, DEUM verum de DEO vero. Si ergo Christus est improprie φῶς ἢ φωτὶς Lux seu lumen de lumine, non est verè lumen, non est verè DEUS, quia Filius est improprie lumen de improprio lumine. Aut si Pater est proprie lumen, Filius improprie lumen, non erit genitus ex substantia Patris: non erit DEUS de DEO, nec DEUS verus de DEO vero. Quod non depravaverim ego verba Evangelistæ quibus Christus Lux dicitur, quod voculam Lux per metaphoram accipiendam scripsi; quodque veram Divinitatem Christi minimè negaverim, id satis credo, demonstratum est, & boni doctique omnes facillè intelligent. Quod verò nec Concilium Nicænum impugnarim, res est itidem manifestissima. Ait Concilium, Christum esse DEUM de DEO, lumen de lumine. Quibus verbis non negat, Christum lucem vel lumen per metaphoram & improprie esse. Imò, si Concilium vocem VERUM adjecisset, dixissetque VERUM LUMEN DE VERO LUMINE, eo tamen minimè negasset, Christum per metaphoram & improprie esse lumen, & DEUM itidem per metaphoram & improprie lumen esse: quomodo nec Salvator ipse, cum se cibum verum & vitem veram esse dixit, per metaphoram & improprie cibum atque vitem se esse negatum voluit. De collectionibus quas facis, Si Christus est improprie lumen de lumine, non est verum Lumen, non est verè DEUS, & id genus aliis, quid sentiendum sit; id intelliges ex superioribus. Quæ ex Johanne, Chrysostomo, Augustino, Cyrillo, & Theophylacto magno conatu congestisti, ea itidem nihil mihi adversantur. Quod Auctores isti Christum veram lucem & verum DEUM esse scripserunt, eo non negarunt, Christum improprie & per metaphoram lucem esse. Possunt enim hæc simul consistere Christum esse veram lucem & Christum esse per metaphoram Lucem. Inter ea tñ. quæ ex Cyrillo & Theophylacto citasti nonnulla sunt, quæ mihi adversari videri possint.*

Verba Cyrilli, ut quidem tu Latinè verba allegas, hæc sunt; *Unum Verbum DEI*, & ipsum solummodo secundum naturam lumen esse ostendit. Quomodo igitur, si ipsum propriè lumen est, luminis autem particeps omnis creatura, creatura erit? Ad quæ verba explicatio- nis causa hæc adjicis: *Ubi clare dicit, quod Verbum sive Christus sit propriè lumen, & quod ipse lumen sit per naturam & essentiam, omnis autem creatura per participationem.* Deinde verba Theophyla- & citas hæc: *Non enim ipse (Johannes) propriè Lux, sed Lux per participationem, habens fulgorem à vera Luce.* Itemque hæc: *Ego sum Lux mundi. Propriè Lux, non prophetica, quæ non particularem & parvum splendorem habet, sed vera Lux.* In textibus authenticis est vox *κρείως*: dicuntque illi, Christum *κρείως* esse *φῶς*. Quod verti solet, neque malè illud, Christum propriè esse Lucem. Verùm sciendum, Græcam vocem *κρείως* & Latinam propriè subinde non sic usurpari, uti tropis quos Rhetores vocant opponatur. Origenes Homilia I. in Matthæum: *Fons vitæ propriè dicitur DEUS Pater.* In textu autentico sine dubio idem illud *κρείως* fuit quod in verbis Cyrilli & Theophyla- & apparet. Quod igitur ille dicit, *DEUM Patrem propriè fontem vitæ dici, non negat, DEUM Patrem fontem vitæ per metaphoram & impropiè dici; sed hoc ipsum libenter concedit.* Et qui posset aliter? Fons propriè & sine tropo dictus quid sit, id notum est. Qualis res cum *DEUS* esse haud possit, necesse est impropiè, figuratè & per tropum *DEUM* fontem dici. Et tñ. Origenes dicit, *DEUM Patrem fontem vitæ κρείως propriè dici.* Quare necesse est vocem *κρείως* propriè alio hic sensu usurpatam esse quam quidem aliàs solet; & ita quidem ut tropis ea opposita non sit; neq; tollat eos sed relinquat. Eadem notione vocem *κρείως* usurpat Gregorius Nyssenus, quod Homilia 7. in Canticum canticorum scribit: *Qui in Ecclesia corpore locum Prophetarum tenent ὀφθαλμοὶ κρείως ὀνομάζονται οὐκ ἰσχυροὶ propriè appellantur.* Non vult ille, eos qui in Ecclesia locum Prophetarum tenent, *ὀφθαλμὸς* oculos sine tropo appellari; sed libenter concedit, eosdem illos impropiè & per tropum sic appellari. Et tamen idem ille scribit, *ὀφθαλμὸς* oculos appellari illos *κρείως* propriè. Pari ratione ergo, quod Cyrillus & Theophyla- & scribunt, Salvatorem Christum *κρείως* propriè esse lucem,

cem, minimè negant, Christum improprie & per tropum esse lucem; sed hoc ipsum libenter concedunt. Sed Patrum quoque Latinorum locutiones videamus. Augustinus libro 13. c. Faustum, c. 16. *Boni sunt proprie corpus Christi.* Et Rufinus lib. 1. de benedi&. Patriarcharum ex Hom. Orig. 17. in Genesin, ad verba *Alligans ad vitem pullum suum* scribit: *Hoc de Christo proprie & singulariter dicitur.* Quod Augustinus dicit, bonos proprie esse corpus Christi; & Rufinus, illud ex Genesi proprie dici de Christo, non negatum volunt, bonos corpus Christi, atque illud ex Genesi de Christo, improprie & per tropum dici; sed libenter hoc concedunt. Apparet, tum Græcos vocabulo *νοστος*, tum Latinos vocabulo *proprie* duplici notione uti: primò quidem ita, ut significationi improprie & figuratæ id opponant: deinde verò sic, ut quod alicui peculiare, nec cum aliis commune est, notent. Priore notione usus est Augustinus quod Tractatu 47. in Johannem scripsit: *Ergo & ostium est (Christus) & lapis angularis: omnia per similitudinem, nihil horum proprie.* Item quod lib. 3. de doctr. Christ. c. 5. scripsi: *Cum figuratè dictum sit accipitur tanquam proprie dictum sit, carnaliter sapitur.* Ait Augustinus, Christum esse ostium, & esse lapidem angularem, per similitudinem, non proprie. Et idem tn. Augustinus, quoniam, ut paulò antè ostendi, dixit, bonos proprie esse corpus Christi, facile etiam dixerit, Christum proprie ostium & proprie lapidem angularem esse. Nimirum prout vocabuli *proprie* aliis atque alius significatus est, Christus vel proprie est ostium, vel non proprie, sed improprie & figuratè est ostium. Si vox *proprie* significationi tropicæ & figuratæ opponatur, Christus proprie ostium non est; sed est ostium improprie & figuratè. Si verò eadem vox paulò aliter capiatur, & ita quidem ut ei quod commune est alicui cum aliis, opponatur, Christus proprie est ostium. Pari modo pro diversa vocabuli *proprie* significatione Christus vel proprie Lux est, vel non proprie, sed improprie & figuratè Lux est. Si vox *proprie* tropico & figurato opponatur, certum est Christum non proprie, sed improprie, figuratè & per tropum lucem esse. Si verò eadem vox aliter capiatur, & ita quidem ut opponatur ei quod alicui commune est cum aliis: Christus proprie

priè Lux est. Nec aliter de vocabulo Græco κυρίας, quo Cyril-
 lus & Theophylactus sunt usi, est sentiendum; sed similiter di-
 cendum, pro diverso istius vocabuli significatu Christum vel κυ-
 ρίας esse lucem, vel non κυρίας, sed ακύρας & κατὰ τρόπον esse lu-
 cem. Si vox κυρίας significationi tropicæ & figuratæ oppona-
 tur, certum est Christum non κυρίας, sed ακύρας & κατὰ τρόπον esse
 lucem. Si verò eidem significationi non opponatur, sed notio-
 ne quadam alia capiatur, Christus κυρίας Lux est. Et sic quidem
 vocabulum accipi Cyrillus & Theophylactus voluerunt, quod
 Christum κυρίας lucem esse scripserunt. Non illi significationi
 tropicæ & figuratæ istud vocabulum opposuerunt, neque impro-
 priè & per metaphoram Christum esse lucem negatum voluerunt;
 sed mens eorum hæc fuit, quod peculiari quadam ratione, &
 ut suprâ Ruffinus loquebatur, singulariter, Christus lux sit. Quod
 satis apparet ex ea quam fecerunt oppositione. Theophylactus
 quidem in Commentario in caput 8. Johannis scribit: *Φησὶν ὅτι ἐ-
 γώ εἰμι τὸ Φῶς, τὸ κυρίας Φῶς, ἢ καὶ Φῶς περιφητικόν, μεμελῶν δηλα-
 δῶ καὶ μικρὸν τὴν λάμψιν ἔχον, ἀλλὰ τὸ ἀληθινὸν Φῶς, ἐδὲ Γαλιλαίας
 ἢ Παλαιστίνης ὄροις περιελεγχόμενον, ἀλλὰ ἔξ ἡσμευ Φῶς εἰμι.* *Ait, e-
 go sum Lux, propriè & singulari ratione Lux: non prophetica
 Lux, utpote quæ particularem & exiguum splendorem habet; sed
 vera Lux: non Galilææ aut Palæstinae terminis circumscripta, sed
 mundi Lux sum.* Vult ille, Christum non lucem propheticam
 esse, id est, non esse talem lucem qualis sancti Prophetæ fuere, ut-
 pote quæ exiguum modo splendorem habeat; sed esse lucem κυ-
 ρίας & ἐξαιρετῶς propria quadam & singulari ratione, ut non
 commune id cum ipso sit aliis. In Commentario in caput 1. Joh.
 idem Theophylactus sic habet: *Si quis dixerit tibi, an Johan-
 nes Lux est? annue. Si verò interrogarit, nunquid Johannes τὸ
 Φῶς Lux illa est? dic, Non. ἔστιν αὐτὸς τὸ Φῶς κυρίας, ἀλλὰ
 Φῶς κατὰ μετῶχην, ἔχον τὴν λάμψιν ἐν τῷ ἀληθινῷ Φωτός.* Non e-
 nim ille (Johannes) Lux est propriè & singulari ratione, sed est
 Lux per participationem, quæ splendorem habet à vera luce. Di-
 scernit ille lucem quæ κυρίας propriè & singulariter Lux est, ab
 ea luce quæ per participationem Lux est, quæque splendorem
 habet à vera luce; non verò de eo agit, utrum Lux quæ κυρίας
 Lux

Lux, est; Lux sit propriè, an per per metaphoram: nec Ch. lucem per metaphoram esse negat. Vides ergo, Chemniti, vocabala *νογίας* & *propriè* in veterum monumentis non eadem semper notione capienda esse; nec, ubicunq̃ue voces eas deprehendis, existimandum tibi esse, quod tropi & locutiones figuratæ prorsus excludantur. Ineptus verò fuisset, quicunq̃ue veterum Christum propriè esse lucem ita scripsisset, ut tropum & locutionem figuratam hinc exclusam vellet. Quid enim rei Lux propriè dicta sit, omnes sciunt; talis scilicet quæ in oculos incurrit, quæque non substantia, sed accidens, & quidem qualitas, est. Quapropter nec recentiorum quisquam, puto, eò stoliditatis pervenit, ut per tropum & metaphoram Christum lucem esse negaret, ac citra tropum lucem esse contenderet. Solus tu, Chemniti, hoc eruditionis tuæ specimen edidisti. Socerum tuum Johannem Gerhardum, cujus hyperaspisten agere ocepisti, in ea opinione non fuisse, satis apparet ex eo quod ipsius per multos annos auditor, *σύνταξι*, & contubernalis Salomon Glassius, ut ex superioribus intellexisti, in alia omnia abiit. Scribit hic apertè, ut intellexisti, quod 1. Joh. 1. DEUS, & Joh. 1. Christus Lux vocatur, id ad metaphoras & locutiones figuratas pertinere. Librum autem in quo ista scribit, id est, Rhetoricam sacram, ipsius tui soceri hortatu atq̃ue ductu scripsisse se profitetur in epistola dedicatoria, quam libro suo præmisit. Sed quid mentem soceri tui ex mente Glassii colligo? Scripsit manifestè ipse socer tuus in eandem sententiam. Nimirum pag. 870. & seq. Exegefeos aliquot locorum Theologicorum invenies sic scriptum: *Probat DEI omniscientiam 1. Scriptura, idq̃, 1. affirmativè. 2. negativè. 3. metaphoricè ac figuratè. Quando enim oculi DEO tribuuntur, ipsius omniscientia significatur. Item quando DEUS vocatur Lux, inter cætera etiam ipsius omniscientia denotatur.* Viden quando DEUS Lux vocatur, id illum ad locutiones metaphoricæ & figuratas referre? Deinde in pag. 1135. & seqq. legere hæc poteris: *Respectu salutaris officii (Christus) in genere appellatur his nominibus, tum propriis, Jesus Christus, sive Messias, Salvator, Salus, Mediator, Redemptor, expectatio gentium, &c. tum figuratis, sponsus, caput, lapis angularis, fundamentum, petra, leo, panis*

panis è caelo, sol, L I X, stella matutina, vitis, liber vite, arbor vite, &c. Viden, quod Christus Lux vocatur, id tuum quoque focerum ad locutiones figuratas, id est, tropicas & improprias referre? Quicquid igitur mihi hac in re crimini dedisti, id ipsi focero tuo Gerharo, & decessori Glassio, crimini te dedisse puta. Hi enim profus *ἐμψυχοι* mihi sunt, & Christum per metaphoram, neque propria, sed impropria & figurata locutione lucem esse, scripserunt. Quare si crimen læsæ majestatis in Salvatorem meum admisisse putandus ego sim, quod Christum Salvatorem, per metaphoram & improprie lucem dictum scripsi, ejusdem criminis unâ mecum affines ipsi illi quos dixi, Gerharus atque Glassius, erunt.

C X I X.

Nam si primò Christus improprie est Lux, non est revera Lux & consequenter nec verus D E U S, quicquid enim disputet pro Regula, quod & improprie tale, illud revera est tale, infirmum est. Secundò: in iis, quæ de D E O & creaturis prædicantur, quicquid habet rationem perfectionis, D E O excellentissimo tribuendum & quicquid habet rationem imperfectiois, penitus ab illo removendum. Denique, quæ de Concilio Nicæno movet, non movent, quia absque solida probatione dicuntur, ut & quæ ex Patribus ad quæ parati sumus, respondere in conflictu.

C X X.

Vidimus, quod Deus sit Lux, affectiones habeat Lucis & Operationes; proximum sub Deo Genus est Spirituum creatorum, Classis, qui num etiam participant de Natura Lucis dispiciendum, si enim ut nobilissima præ cæteris creatura à Deo prodierunt, videtur & illos aliquid Lucis ac cepisse de illa increata, atque in illa refulgere, quod quidem ex Scriptura docere annitemur, adminiculis etiam aliis, ubi requirentur, adhibitis & in nostram sententiam productis.

C X X I.

Ducit autem nos in Assertionem de angelicæ Naturæ Luce Effatum illud divinum Davidis, qui in Depræcatione operum divinorum, inter alia ita loquitur: *Qui facis Angelos tuos, Spiritus, Ministros tuos Ignem urentem.* Vel ut ad Verbum quasi reddi

reddi potest ex Ebræo: Faciens Angelos suos Spiritus: Ministros suos Ignem flammantem. LXX. Interpretes habent; ὁ ποιῶν τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ πνεύματα, καὶ τοὺς λειτουργοὺς αὐτοῦ πῦρ φλόγα, ut habet Editio Basilienſis, vel αὐτὸς φλόγον, ut legit Exemplar Londinense juxta Vaticanum Romæ editum.

C X X I I.

Observandum autem primò, quid per Angelos hîc intelligatur. Notantur autem Voce hâc non venti, aut ex meteororum Ordine Corpora, sed illud Genus Entium, quod Supremum in serie Creatorum. Nam primò, Nomen Angeli retinent ex Ebræis, R Obadia Gaon, ex Christianis *Benedictus Arias Montanus, Vatablus, Malvenda, Tremellius, Piscator, & alii*; & quamvis vox Ebræa אַנְגֵלִים admittatur esse laxioris ambitus, tamen ut analogâ stat hîc pro suo significato famosiore. Videantur loca Genes. 19. ῥ. 1. & cap. 32. ῥ. 1. Secundò ipse textus pro nobis militat, qui Ordinem signat talem, ut antequam Psalter descendat ad inferiora in hoc universo, præmittat creaturas, quæ Cælo dignæ; qui verborum structuram exhibet sequentem: Faciens Angelos suos Spiritus & Ministros suos Ignem flammantem; non illam quæ à quibusdam confingitur: faciens Ventos Angelos suos, & Ignem flammantem Ministros suos; qui denique docet de ventis jam actum esse in versiculo præcedente. Tertiò, nec τὴν ὀνομασίαν Davidi esse imputandam, utpote, qui jam dixerat de Deo; qui ponit Nubem ascensum suum, qui ambulat super pennas ventorum; tandè Interpres omni Exceptione major Paulus pro nobis stat. Qui disertè ὁ ποιῶν τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ πνεύματα, καὶ τοὺς λειτουργοὺς αὐτοῦ πῦρ φλόγα, cui subscribunt etiam Patres de Angelis exponentes hoc dictum & imprimis *Augustinus*, qui ita: *Quamvis non videamus apparitionem Angelorum: Abscondita enim est ab oculis nostris, & est in Republica magnâ Imperatoris DEI*; tamen de Angelis novimus ex fide, nec inde dubitare fas nobis est. Secundò observandum, quid per Verbum πῦρ hîc designetur, non ignotum est literatis vocem hanc latè quandoque accipi, & plura admittere significata, interim hîc creationem indicare colligi potest Primò ex ipsa vocis quoque primaria & principali significatione, de illa quippe legitur Gen. 1. ῥ. 31.

cap. 2. *ψ*. 3. Jobi 10. *ψ*. 9. Secundò, quia psaltes occupatur in Deprædicatione Creationis per varios actus, secundum dies, in quibus diversa producta, & è nihilo emergere iussa sunt. Tertio, quia dicitur Deus fecisse Angelos Spiritus & Ministros suos Ignem flammantem, adedque terminus hujus שׁוֹרֵף facere, non ponitur status, aut officium, aut aliud quoddam Accidens, sed Spiritus & Ignis flammans, adedque substantia. Quid, quod Spiritus completus, quales Angeli, non potest produci aliâ actione, quam creatoriâ, ut in hoc conspirant Philosophi & Theologi. Unde etiam rectè *Basilius* in hæc verba Psalterii: *Non visibilium modo, sed & invisibilium DEUM opificem esse ostendit, Angelis autem DEUS Ministris utens, & dignis benefacit, & adversarios punit.* Tertio observandum, quid per Spiritus & Ignem flammantem, David intelligi velit. Per Spiritum autem hoc in loco existimamus designari Entia Incorporea, positivè Spiritualia, Intellectu & Voluntate prædita, tum quia vox רוּחַ *ruach* & principaliter in Scriptura notat naturam spiritualem, ut constat ex Ecclesiast. 12. *ψ*. 7. Esaiæ 31. *ψ*. 3. Gen. 45. *ψ*. 27. & quidem Spiritum completum etiam 1. Reg. 22. *ψ*. 21. tum quia vox Spiritus hîc terminus alicujus actionis creatoriæ indicatur, quæ sese in naturis rerum terminat; tum quia Paulus exfertè hanc significationem, in Repetitione hujus dicti probat, Ebr. 1. *ψ*. 7. Per Ignem autem flammantem itidem putamus naturam angelicam repræsentari, partim quia, ut demonstrabitur, natura Ignis & Lucis non repugnat Angelis, sed potiùs maximè conveniens, nec omnis Ignis in Ordine Corporum; partim quia eadem Orationis serie, structurâ, modo & ordine, ut Angeli dicuntur *πνεύματα*, ita quoque dicuntur Ministri illi Dei Ignis flammans; partim quia verbum שׁוֹרֵף non tantùm restringitur ad Spiritus, sed & ad Ignem flammantem; si itaque illud est Index Creationis, actionis prodeuntis è Nihilo, & subsistentis in Naturâ substantiali, sive Essentiâ producti, etiam ipso Igne flammante angelica nobis natura, Essentia & Substantia exhibebitur. Adedque sensus erit hujus Esati Davidici: Deus in Exordio operum suorum Angelos, nobilissimas sc. in Genere Creaturarum, creavit Spiritus, adedque incorporeâ Essentiâ & Spirituali præditos esse voluit, & Ministros suos

illas

illas easdem Creaturas, quas ad varia adhibet Ministeria, quæque exequentur Voluntatem suam, creavit Ignem flammantem, Essentiam quandam validam, activam & penetrantem.

C X X I I I.

Obtento quod Angeli hîc Subiectum faciant Effati & de illis dicatur, quod sint Spiritus & Ignis flammans, adeoque in naturâ suâ Lux quædam spiritualis, in subsidium nostræ Sententiæ producimus quoque Patres Ecclesiæ. Digitum eo intendisse *Irenæum lib. 4. cap. 28.* non videtur negandum scribentem: *Qui in Lumine sunt, non ipsi Lumen illuminant, sed illuminantur & illustrantur ab eo, ipsi quidem nihil ei præstant, beneficium autem percipientes illuminantur à Lumine. Sic & Servitus erga DEUM, DEO quidem nihil præstat, nec opus est DEO humano Angelorum obsequio: ipse autem sequentibus & servientibus ei Vitam & incorruptelam & gloriam æternam attribuit, beneficium præstans servientibus sibi, sed non Beneficium ipso ab eis percipiente. Apertè verò Basilus: in virtutibus cælestibus substantia earum, puta spiritus, est Ignis immaterialis, juxta id, quod scriptum est: Qui facit Angelos suos Spiritus & Ministros suos Ignem flammantem. Augustinus, denique tam firmiter adhæsit huic sententiæ, quod sc. Angeli naturam Lucis participant, ut etiam per Lucem primigeniam Angelos intellexerit lib. 11. de Civit. DEI cap. 7. scribens? Qualis illa sit Lux & quo alternante Motu, qualemque vesperam & manè fecerit, remotum est à sensibus nostris, nec ita, ut est intelligi potest. Aut enim aliqua Lux Corporea est, si ve in Superioribus Mundi partibus longè à conspectibus nostris, si ve unde Sol postmodum accensus est. Aut Lucis nomine significata est, sancta Civitas in sanctis Angelis & Spiritibus beatis. Fit tamen & Vespera diei hujus & manè aliquatenus, quoniam scientia Creature in Comparatione Scientiæ Creatoris quodammodo vesperascit. Itemque lucefcit & manè sit, cum & ipsa refertur ad Laudem, dilectionemque Creatoris, nec in noxam vergitur, ubi non Creator Creature dilectione relinquatur. Cognitio quippe Creature in seipsa decoloratio est, ut ita dicam, quàm cum in DEI Sapientiâ cognoscitur, vel ut in arte, qua facta est.*

C X X I V.

Judæorum Sententiam prodit, & promit *Menasse Ben-Israel* probl. 16. pag. 68. 69. postquam enim recensuit decem superiores Luces, quas Cabalistsæ vocant *sephirot*; secundam Lucem dicit fuisse Intelligentias à Materia separatas, quæ ponantur in Mundo *בריאה* Creationis, idè enim dicere *Danielem: Claritas illi cohabitavit.* Tandem post tertiam Lucem ad quartam transit & scribit: *Quarta Lux sunt Angeli, qui habent aliquam Affinitatem cum Materia corporum cælestium, & obeunt Legationes in terram, positaque sunt in Mundo *ויצו* formationis.* Propter naturam autem spiritualem, quæ sunt prædita, convenit illis Nomen Lucis. Et de Dæmonibus ita loquitur, problemate 23. pag. 92. 93. quod ad Creationem eorum attinet, non absimiliter à vero dici potest, eos simul in inferno Creatos esse. In *Beresit Rabba* probatur hoc ex *Psalmista: qui contignat aquas in aquis, superiora ejus, qui ponit Nubes currum suum, qui ambulat super extremitates venti, qui facit Angelos spiritus Ministros suos Ignem urentem.* Ex quo perspicimus eos non tantum creatos esse isto tempore, quo *Deus* dividebat aquas ab aquis, quod accidit die secundo, Verum etiam Corpora eorum composita esse ex duobus Elementis subtilissimis, aëre scil. & Igni, uti ante à nobis dictum est.

C X X V.

In Limine itaque impingunt primo Pontificii Interpretes, qui cum *Isidoro Clario, Folingio, Jansenio, Simeone de Muir* substituunt loco Angelorum *Ventos*: & cum *Campanensi* reddunt: *Tu facis Ventos nuntios tuos & flammam Ignis clientes tuos.* Quibus meritò opponimus *Augustinum Steuchum*, qui in hunc *Psalmum* ita: *Ineptum est Ventos, vel fulgura Angelos vocari, nec credendum tam insolentem similitudinem usurpaturum Vatem fuisse, ut sacrosantum Angelorum Nomen fulminibus & ventis dederit, nulli sano ac prudenti talis Interpretatio placebit.* *Bellarminum*, qui in *Commentario* hæc reliquit: *Nisi obscure Authoritas Apostoli, potuisset hic locus intelligi de procellis & fulguribus, quæ sunt in aëre, ut sensus esset, qui facis, ut Spiritus procellarum sint Angeli tui, id est nuntii tui ad homines admonendos, & ut Ignis*

gnis urens, id est cœlestia fulgura, aut fulmina sint ministri tuī ad homines puniendos. Sed quoniam Apostolus ad Ebræos primò exponit hunc locum de angelicis spiritibus, & hinc argumentum ducit ad probandam Christi divinitatem, & præstantiam super Angelos, dicendum est Prophetam loqui de veris angelis, ac dicere voluisse, non solos ventos ac nubes velocissimè discurrere per aërem, ut DEO iubenti serviant; sed habere DEUM Ministros longè sublimiores & potentiores, Angelos videlicet, quos mittat ad homines, vel admonendos vel puniendos. Denique Thomam Malvendam. Qui cum illorum Exegesin adduxisset, quibus placeat Venti, sequentem subjicit Epicrisin: Paulus Ebr. 1. v. 7. Perspicuè de sanctis Angelis hunc locum interpretatur: Qui facis Angelos tuos, id est cœlestes & beatas Mentis Spiritus, id est natura spiritualis & incorporea: vel velocissimos ut Ventos, seu Cherubos, quibus invehitur, ut 2. Sam. 22. v. 11. & Psalm. 17. v. 11. & Ministros tuos, id est, ipsosmet Angelos, quia sunt administratorii Spiritus, Ignem urentem, id est celerissime ac efficacissime natura: Metaphora, nempe Seraphos Esa. 6. v. 2. & tandem concludit: Sensus Pauli omninò præferendus.

C X X V I.

Longius quoque recedunt à textu Pontificii Interpretes, qui per Angelos intelligunt hic Apostolos, & Apostolicos viros, tum quia Angelus secundum Gregorium Homilia 34. in Evang. Angelorum Vocabulum nomen sit Officii, non naturæ; Tum quia Christi Jesu Apostoli & Apostolici viri sint Angeli, quia sint purissimi Spiritus secundum Gregorium & Ambrosium; tum quia à DEO cœlesti Sapientiâ repleantur, & quia alios illuminent ab Angelis illuminati. Unde etiam Christus dixerit Matth. 5. v. 14. Vos estis Lux Mundi & Dionysius Prælatum alios docentem vocet Angelum; ita Le Blanc.

C X X V I I.

Johannes Calvinus pro Angelis quoque substituit Ventos, quasi DEUS illis utatur ut nuntiis, quem secuti sunt Genevenses, Deodatus & quod miramur Joannes Coccejus scribens: Deinde dicit, quod Ventum & Ignem faciat Angelos suos & Ministros suos. Simplex sensus est: Quod illarum rerum, quæ minimè sunt

in alius Creaturae potestate (nam suos in Oppositione intelligendum puto) Officio utatur, quandocunq; vult. Certè manifestum est, Venti fulgurisque ac fulminis obsequia solis DEI nutibus regi. Hic locus ab Apostolo Ebr. 21. v. 7. citatur ad probandum, quod Angeli sint λειτουργικά πνεύματα, Spiritus ministeriorum, ut apparet versu 14. quod ista ratione ostenditur, quia Angeli מלאכי Angeli & λειτουργοί משרתי Ministri ἐκ θεοῦ collocantur. Possit & sic dici: DEUM facere Ventum & Ignem Angelos & Ministros suos, sc. ut quod Angeli in caelo sunt, id Venti & Ignis flammans sint in inferiori hac Regione, sc. quod aequali quasi promptitudine, DEO serviant: Cui opponimus meritò, quod ipse agnoscit, Veteres Hebræos in Bereschuth Rabba sect. 3. ex loco hoc efficere, Angelos creatos esse die secundo, nec non ex locis Religionis Junium, quem ipse allegat & Adversarium agnoscit, qui in Parall. lib. 3. scribit: Qui de ventis & flamma Ignis versum illum Psalm. 104. accipiunt, frigidiore utuntur Interpretatione: pro certo habeo, si quis ad Davidis Argumentum & Apostoli Interpretationem propius attenderit, fore, ut hac (de Angelis proprie) germana comperiatur Interpretatio. Piscatorem, qui non tantum in notis ad verba Psalms hanc sententiam de Meteoris rejicit, sed & in Commentario super Epistolam ad Ebræos. Denique Franciscum Gomarum, qui dicit hac ratione imprudenter Authoritatem Apostoli hunc locum de Angelis exponentis everti. Addit: igitur sanctius, Angelos & Ministros speciatim & κατ' ἐξοχὴν cum Apostolo de caelestibus Spiritibus reliqui interpretantur.

C X X V I I I.


Progredimur ad Verbum וַיִּפְּץ faciens quod secundo sollicitant Johannes Crellius scribens: Verbum præterea facit, ὁ πρῶτος, si contextum Psalmi attendamus, non de Angelorum Creatione intelligi debet, sed de eorum ad Opera aliqua peragenda Emissione. Cum enim à DEO jussi instar Turbinis & fulminis emicant, meritò dicuntur Spiritus, & Ignis flammans fieri. Procul dubio inhærens verbo præsentis temporis, cum si de Angelorum productione fuisset illi sermo, debuisset adhibere præteritum, qui fecit Angelos suos Spiritus &c. quod etiam alii opponere solent. Verum


Verum nihil dicitur, nec obstare potest illud, quod ab Adversariis urgetur. Nam primò, aut Enallage hïc aliqua temporis obtinet præsentis sc. pro præterito, ut hoc familiare est in Scriptura Spiritui S. aut adhibetur *δεικνῶσ*, ut eo melius in creationem tanquam in rem præsentem, utut peracta, ducamur. Secundò, si obstaret Creationi verbum præsentis temporis, etiam obstaret *versiculo secundo*, ubi dicitur: *extendens Cælum tanquam aulæum*. Et nonne de Creatione Cæli & terræ per verbum præsentis temporis aliàs quoque loquitur David Psalm. 121. *vs. 3.* & Psalm. 124. *vs. 3.* *faciens Cælum & terram*. Tertio non fingendum est, DEUM, ut Architectum Opere Creationis absoluto recessisse ab Universo hoc, aut Opus suum dereliquisse, ut quondam voluit *Nicolaus Tavehellus*, sed adhuc omnes Creaturas, tum immateriales, tum materiales conservare, quæ Conservatio cum nihil aliud sit quam Creationis Continuatio, qui non commodè potuit David adhibere verbum præsentis temporis de DEO creante Angelos, nec suam virtutem adhuc hodiè, quam semel adhibuit, ipsis subtrahente. Unde etiam ex Calvinianis *Franciscus Gomarus* agnovit, loqui Davidem non de destinatione ad Officium, vel Emissione ad opera aliqua peragenda vi verbis præsentis, sed de Creatione illorum, recurrens ad Enallagen Numeri, quæ consueta & accommodata, quod in primis dicimus esse verum in libris illis, qui dicuntur Poëtici.


C X X I X.


Tandem notamus tertio circa verba: Spiritus & Ignem flammantem, primò Pontificiorum deviationem. *Bellarminus* quamvis agnoscat non de Meteoris, sed angelicis mentibus hïc esse sermonem, ita tamen exponit, ut verba pervertat, scribens: *Qui facis Angelos tuos Spiritus, id est: qui facis, ut spirituales creaturae, quæ tibi in cælo semper assistunt, fiant Angeli tui, id est, fiant nuncii tui ad homines instituendos, sive instruendos, & ministros tuos Ignem urentè, id est, qui facit, ut eadem illæ spirituales Creaturae, quæ charitate semper ardent, fiant Ministri tui ad efficienda celerrimè, & efficacissimè, quacunque jusseris*. Apertè primò contra Structuram & Ordinem verborum primitus à Davide institutum & à Paulo observatum. Secundò contra Scopum utriusque, qui non est agere de


as de Angelorum officio, sed naturâ, ut in antecedentibus & consequentibus res creatas describit ab indole sua & Qualitatibus in Creatione acceptis. Denique contra Evidentiam Textus, num enim describuntur Angeli ut nuntii, & non potius ut Spiritus? Num describuntur ut nuntii ad homines, & non potius ut Angeli absolute? num inseritur verbum fiant, & describuntur ut nuntii ad homines instituendos? quorum tamen non est instruere, sed ministrare, custodire &c. Præterea num Ministri describuntur ab ardore charitatis, & non simpliciter designantur? Num Ignem esse est celerrimè & efficacissimè facere, quæcunque jufferis? cur non aërem vel ventum, si hoc voluit, adhibuit Psaltes? num David dicit: facis, ut spirituales creaturæ fiant ministri, & non: facis Ministros tuos Ignem flammantem. Ipse *Bellarminus* diffidit huic Expositioni, quam *Augustini* & *Gregorii* esse dicit, & proinde aliam substituit. Ita enim ille: potest autem duobus modis intelligi hæc sententia. Uno modo sic, *Qui facis Angelos tuos spiritus*, id est, qui facis, ut spirituales creaturæ, quæ tibi in cælo semper assistunt, *fiant Angeli tui*, id est, fiant nuntii tui ad homines instruendos, & *ministros tuos ignem urentem*, id est, qui facis, ut eadem illæ spirituales creaturæ, quæ charitate semper ardent, fiant ministri tui ad efficienda celerrime, & efficacissime, quæcunque jufferis. Atque hæc est expositio *S. Augustini*, hoc loco, & *sancti Gregorii homil. 34. super Evangelia*. Altera expositio facilior, & fortasse magis literalis est, *Theodoreti in hunc locum*, & *sancti Thomæ in cap. 1. ad Hebræos*, qui sic exponunt, *Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem urentem.* i. e. facis, ut Angeli ministri tui habeant velocitatem spirituum, id est, ventorum, & efficaciam ignis urentis: atque ita sint veluti quidam venti spirituales in discurrendo, veluti quidam ignes divini in operando. Comparat autem Propheta sanctos Angelos ventis, & ignibus, non quod non sint velociores ventis, & potentiores ignibus, sed quia nos nihil novimus inter hæc corporalia, quibus aptius Angelorum velocitas, & efficacitas confiteri possit. Favet huic expositioni etiam *sanctus Hieronymus in commentario hujus loci*: & quod majus est, textus Græcus tum in Psalitem in *Apostolo ad Hebræos 1.* nam in utroque loco videmus articulum addi ad nomina, Angelos, & ministros, non autem ad nomina, spiritus, & ignem. Vna restat difficultas: quod apud Apostolum etiam in editione latina vulgata legitur in tertia persona, *Qui facis Angelos tuos spiritus*, quo modo etiam legitur in textu Hebræo: & Græco in libris quos nunc habemus. In editione autem latina vulgata legitur in hoc Psalmo in secunda persona, *Qui facis Angelos tuos spiritus*: quam lectionem probat *sanctus Hieronymus in epistola Sivanam. & Fretellam*. sed responderi potest, Apostolum non fuisse sollicitum de verbis, sed de sensu: sensus autem idem est, sive illum exprimumus alloquendo Deum, sive narrando.











the scale towards document

Aduersus Montanum.

um sanè Concilium est & antiquissimis
forme, quod more suo Ecclesia Romana
ac celebrat: quod in cōp à Pontifice Roma
tur, habetur à Præsulibus, aut his qui iure
consuetudine diutissimè seruata, interesse
ent, & suffragia deferre, de doctrina fidei,
ecclesiæ, uel pacè inter Principes Christianas
a. Quodcunq; ab hoc discrepauerit, Ec
n solet Concilium appellare, sed Sathanæ
Concilium malignantium, Conciliabus
um mente perditorum.

*ut olim fidei con
templi templi h
paucaq; fulta
Romana*

um prouehor?

recipitem egit extra te ipsum amentia aut
dicendi, ut quo proueharis, nescias. Recipe

MON.
GASP.

*olui graues ob causas profectioe Triden
ersedendum esse: quod si perfecti, dicendi
us sum. Superest, ut uelis collectis, nauem in
cam.*

MON.

nile perfecisti, neq; perficere unq; poteris,
niuersa colluuias hæreticorum suppetias
estat, nisi ut ad te redeas, in te descendas,
tisper habites. Cogites, unde excideris,
& Ecclesiæ Romanæ charissimæ eius
tare debeas. Ego non dubito, quin si te
, atq; id animo feceris ueritatem explo
tendiq;, facile tibi Spiritus sanctus eam

GASP.

X iij mentem